

## PENTADIUS

## CARMINA (78 vers)

## DE FORTUNA

P1 v.1 Res eadem adsidue momento volvitur uno  
 2 atque reedit dispar res eadem adsidue.  
 3 Vindice facta manu Progne pia dicta sorori,  
 4 impia sed nato vindice facta manu.  
 5 Carmine visa suo Colchis fuit ultra maritum,  
 6 sed scelerata fuit carmine visa suo.  
 7 Conjugis Eurydice precibus remeabat ad auras,  
 8 rursus abit vitio conjugis Eurydice.  
 9 Sanguine poma rubent Thisbae nece tincta repente :  
 10 candida quae fuerant, sanguine poma rubent.  
 11 Daedalus arte sua fugit Minoia regna,  
 12 amisit natum Daedalus arte sua.  
 13 Munere Palladio laeti qua nocte fuere,  
 14 hac periire Phryges munere Palladio.  
 15 Nate quod alter ades caelo, sunt gaudia Ledaе ;  
 16 sed maeret mater, nate quod alter abes.  
 17 Hostia et ipse fuit diri Busiridis hospes  
 18 Busirisque aris hostia et ipse fuit.  
 19 Theseus Hippolyto vitam per vota rogavit,  
 20 optavit mortem Theseus Hippolyto.  
 21 Stipite fatifero juste quae fratribus usa est,  
 22 mater saeva fuit stipite fatifero.  
 23 Sola relicta toris flevisti in litore, Cnosis ;  
 24 laetaris caelo sola relicta toris.  
 25 Aurea lana fuit, Phrixum quae per mare vexit ;  
 26 Helle qua lapsa est, aurea lana fuit.  
 27 Tantalus est numero natorum facta superba,  
 28 natorum afflicta Tantalus est numero.  
 29 Pelias hasta fuit, vulnus grave quae dedit hosti ;  
 30 hoc quae sanavit, Pelias hasta fuit.  
 31 Per mare jacta ratis pleno subit ostia velo,  
 32 in portu mersa est per mare jacta ratis.  
 33 Lux cito summa datur natusque exstinguitur infans  
 34 atque animae eximiae lux cito summa datur.  
 35 Sunt mala laetitiae diversa lege creata,  
 36 juncta autem adsidue sunt mala laetitiae.

## DE ADVENTU VERIS

P2 v.1 Sentio, fugit hiemps ; Zephyrisque animantibus orbem  
 2 jam tepet Eurus aquis : sentio, fugit hiemps.  
 3 Parturit omnis ager, persentit terra calores,  
 4 germinibusque novis parturit omnis ager.  
 5 Laeta virecta tument, folio sese induit arbor :  
 6 vallibus apricis laeta virecta tument.  
 7 Jam Philomela gemit modulis, Ityn impia mater  
 8 oblatum mensis jam Philomela gemit.  
 9 Monte tumultus aquae properat per levia saxa,

10 et late resonat monte tumultus aquae.  
 11 Floribus innumeris pingit sola flatus Eoi,  
 12 Tempeaque exhalant Horibus innumeris.  
 13 Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo,  
 14 voxque repulsa jugis per cava saxa sonat.  
 15 Vitea musta tument vicinas juncta per ulmos :  
 16 fronde maritata vitea musta tument.  
 17 Nota tigilla linit jam garrula luce chelidon ;  
 18 dum recolit nidos, nota tigilla linit.  
 19 Sub platano viridi jucundat somnus in umbra,  
 20 sartaque texuntur sub platano viridi.  
 21 Tunc quoque dulce mori, tunc fila recurrere fuis  
 22 inter et amplexus tunc quoque dulce mori.

## NARCISSUS

P3 v.1 Cui pater amnis erat, fontes puer ille colebat,  
 2 laudabatque undas, cui pater amnis erat.  
 3 Se puer ipse videt, patrem dum quaerit in amne,  
 4 perspicuoque lacu se puer ipse videt.  
 5 Quod Dryas igne calet, puer hunc irridet amorem ;  
 6 nec putat esse decus, quod Dryas igne calet.  
 7 Stat stupet haeret amat rogat innuit adspicit ardet  
 8 blanditur queritur stat stupet haeret amat.  
 9 Quodque amat, ipse facit vultu prece lumine fletu ;  
 10 oscula dat fonti, quodque amat ipse facit.

## NARCISSUS

P4 v.1 Hic est ille, suis nimium qui credidit undis,  
 2 Narcissus vero dignus amore puer.  
 3 Cernis ab irriguo repetentem gramine ripas,  
 4 ut per quas periit cernere possit aquas.

## CHRYSOCOME

P5 v.1 Chrysocome gladium fugiens stringente marito  
 2 texit adulterium iudice casta reo.

## DE FEMINA

P6 v.1 Crede ratem ventis, animum ne crede puellis ;  
 2 namque est feminea tutior unda fide.  
 3 Femina nulla bona est, vel, si bona contigit una,  
 4 nescio quo fato est res mala facta bona.